DISPUTATIO ZOOLOGICA DE LUPO ET LYCANTHROPIA. QUAM IN ILLUSTRI AD ALBIM ATHENAEO...

Christian Wolf, Christoph Wantscher

Digitized by Google

VIRIS

Admodum Reverendis, Ampliſſimis atq; Excellentiſſimis

D. JOH. ANDREÆ QVENSTEDTIO,

D. JOH. DEUTSCHMANN/

SS. Theol. Doctoribus in Academia Witebergenſi celeberrimis & Profeſſ. Publicis, ac Elector. Alumnor. Ephoris graviſſimis.

Nec non

Excellentiſſimis, Ampliſſimis atq; Præclariſſimis

D. M. JOH. ERICO OSTERMANNO,

Lingvæ Græcæ Profeſſori Publ. Celeberrim. Alumnor. Electoral. Ephoro graviſſ. ac Academiæ Seniori meritiſſimo.

&

D. CONSTANTINO ZIEGRA/

SS. Theol. Doct. Scientiæ naturalis Profeſſ. Publico Celeberrimo.

Dn. Dn. Patronis, Præceptoribus, Promotoribus Optimis maximis, Hoſpitique beneficentiſſimo, ætatem ſuſpiciendis,

Ingratæ mentis mnemoſynon

ac

Debitæ obſervantiæ τεκμήριον

humillimè offert

devotiſſimus & obſequioſiſſimus ipſorum ſervus

M. CHRISTIANUS WOLF, Pirnenſis.

Digitized by Google

בשׁם משׁלושׁ הקדשׁ׃

MAximo cum in periculo verſari vitæ, cui cum lupo res eſt, quamvis vel auribus præhenſum teneat, neminem clam eſſe duco. Quantum autem cunque illud habeatur, tantum tamen non eſt, quam quod neſcio qua inſtructi fama aut traditione, ut vulgata multum, ita parum veraci de lupo infeſtisſimo, infenſisſimaque ejus antipathia quidam philoſophantes quæque aut fabulantes potius, imprudenter ſubeunt. Utut enim vita & fama pari paſſu ambulare perhibentur, rectius tamen conſulit in medium Poëta:

Omnia ſi perdas, famam ſervaſſe memento.

Qui autem ſuæ conſulunt famæ, quibus curæ nihil vel etiã cordi magis quam immota veritas eſſe conveniret, nec tamen quicquam minus, quam hoc ipſum agunt? Præſtet vel ipſe hujus rei lupus clarum teſtimonium, tot atque tantis, ne dicam mendaciis, certè vaniloquiis probè onuſtus, non tantùm ab iis, qui ipſius veritatis Pythones aut myſtæ appellari ſverunt, ſed &, quorum in oris rarò vel nunquam in conſpectum venit. Nec enim

Omnis fert omnia tellus.

Nulli ſunt lupi in Sardinia, ſi Panſaniæ credimus, Cretæ ſi Ariſtoteli; Olympo monte Macedoniæ, ſi Plinio & Solino. Angliam hoc animalis genus non alere certum. Sub Edgaro Ednii II. exſcindi cœpti, in totum poſtea eradicati ſunt, non in Cambria tantùm, ſed in aliis quoque provinciis. Verba ſunt Johannis (a) lib. 3. hiſt.
Jonſtonii. (a) Quam ſententiam tueri quoque nixus eſt natur. c. 6. p. 129.
Scaliger (b) contra Cardanum, à Jonſtonio in eo tantùm (b) Exerc. 200.
diſcrepans, quod luporum defectus in Britannico territorio non tam venatorum ſtudio, quam regionis indoli asſignandus foret. Ita enim infit: *Venire tibi in mentem decuit, quot loca ſunt ab antiquis hac immunitate celebrata.*

Etiam lupos ibi negant vivere : cum univerſa Germania tota Arvernia, cuncta Scythia plena ſunt. Neque putes, quod de ſerpentibus ridiculè facis : omne luporum genus ibi venationis operâ ſublatum eſſe. Immenſi namque ſunt ſaltus, quibus ſeſe tuentur immanes urſi, etiam in perniciem armentorum. Hunc itaq; lupum, animal noſtratibus incolis notisſimum æquè atque decantatisſimum, conſideratione judicavimus dignum & ab uno alteroque intentato crimine vindicare æqvum & certum. Circumſcripturi autem id operis ſumus duarum ſectionum cancellis, ita ut in priori prodeat ipſe lupus cum attributorum examine, in poſteriori vero lycanthropia introducatur.

Eſto itaque Numine opitulante divino.

SECTIO PRIOR.

§. 1. Limen dum operis ingredimur noſtri, nomenclaturam lupi ducimus examine dignam. Multifaria autem ea offenditur hinc indè, nec lucis parum ad rem ipſam penetrandam intimius conferre videtur. Qui lupi incunabula in Latio veſtigant, ex leonina virtute, quam pede gerat, natum eſſe contendunt, ut adeò lupus *quaſi leopus* foret appellandus. *(c)*

(c) *Jonſton. l. c.*

§. 2. Græcos ſi adire libeat, frequentius nihil reperiri certum eſt ex omni vocum copia infrà adducenda, quã quod lupum inprimis efferant per λύκον. Λύκος autem vel à rabie ſuum trahit ortum, qua non ſolum in obvia quæque, ne exceptis quidem ſuæ ſpeciei ſociis, ſed & ſuorummet viſcerum fructum ſævit truculenter ; l. ἀπὸ τῆς λύκης à diluculo, ſeu quod in colore pellis crepuſculorum albedinem æmuletur, ſeu quod prima luce ad raptum exeat ; ſeu quod oculi ipſorum ſint terſi & in tenebris fulgeant. Quæ ſententia *Jonſtonii*, ut à vero non aberrat, ita confirmatur magis magiſque, ſobriæ ſi veniant Hebræorum curæ in ſubſidium. Efferunt autem hi ipſi lupum per זְאֵב undè Chaldaicum דיבא & Syrorum diba una cum Arabico Dib dimanarunt, quæ cuncta eundem præ ſe ferunt ſignificatum. Nomen autem זאב ex זהב immutatum contendit

Samuel

Samuel Bochardus (d) fingens ſcilicet א & ה literas maximè permutabiles. Lupus itaque Hebræis à colore aureo (זהב enim denotat aurum) inditum gereret nomen. Quam vocis originem uti Autor ſupra laudatus ancipitē & creperum animadvertit ipſe, ita alluſioni locum quendam eſſe relinquendum cenſemus ipſi. Miratu autem dignum eſt, quod ad confirmandum ſuum placitum in ſubſidium vocarit Oppianum, qui tantum abeſt, ut de lupo hæc intellecta velit, ut potius in os contradicat & διαῤῥήδην neget. His autem mens *Oppiani* eſt concepta verbis libro tertio Cyngoeticω̃n :

(d) in Hieroz. l. 3. c. 10. p. 820. & ſeqq.

Ἔςι δὲ τις Ταύροιο ὑψοβλήτους ὑπὲρ ἀκτάς
ἐνδιάων, Κιλικάς τε πάγους, καὶ πρῶνας Ἀμανοῦ,
καλὸς ἰδεῖν θήρεσσι πανέξοχος ὅν τε καλοῦσι
χρύσεον, ἀςράπτοντα περισσοκόμοισιν ἐθείραις
Οὐλύκος, ἀλλὰ λύκου περιφερέςερος, ἄπτοτος θὴρ
χείλεσι χαλκείοισι τετυγμένος, ἄσπετος ἀλκήν.
πολλάκι τοι καὶ χαλκὸν ἀτειρέα, πολλάκι λᾶαν
ἐμμενέως ἐτόρησε, καὶ αἰχμήεντα σίδηρον.

§. 3. Succedit Homonymia. Varia ea lupi ſignificata ponderat prout videre licet in (e) *Becmanni originibus.* Præter enim id quod lupus animal denotet ululans, obſervavimus quoque piſcem hoc nomine venientem. Potior nobis eſt Synonymia, quæ à variis prodiit varia. Quanta verò cunque inopia cùm Germani tùm Latini in hoc animali appellando laborent, dum præter illorum Wolff / & horum lupus nullum aliud nomen eſt in promptu, tanta eos Græci pariter atque Arabes copia excellunt ubertisſima. Tritisſima Græcis vox eſt λύκος, cujus ſignificatum ex paulo antedictis percipere eſt in proclivi. Solem alias id nominis poſſediſſe, cultumque in eo delatum fuiſſe Apollini ex Bochardo nobis exploratum liquet. Haud ita frequens eſt ὀλκὸς, quod ab ὀλκέω deductum autumant, Heſychio proprium; nec non & Δάος qua voce Phryges uti, idem teſtis eſt. Oppianus qui quinque meminit ſpecierum, cuilibet ferè earundem peculiare indidit nomen,

(e) Orig. p. 473.

 ut

ut alius ſit τοξότης, jaculator ſcilicet radiorum ſplendentium, quos ex oculis acutisſimis emitteret; alius κίρκος circus vel accipiter, cui ob pernicitatem pedum comparandus foret; aliàs ἅρπαξ ſeu πολύπλοκος ἁρπακτὴρ & quidem καθ' ἐξοχὴν talis, qualis & Virgilio audit, ab ἁρπάζω rapio. Exindè propullulatum cenſet Becmannus Samniticum ſeu potius juxta Strabonem Sauniticum Irpum, quod lupum ſignabat, teſtiumque loco adducit Varronem & Feſtum, qui cum Catone Sirpices l. hirpices, aliàs hirpites vocarint raptores. Undè populi quidam Stroboni dicti Hirpini. Quibus conjecturis quamvis alii falſitatis dicam ſcribere nolint, intimius tamen cum veritas ſit ruminanda, ex Eberina lingva deducendum potius judicant vocabulum. Commodius autem cum non ſuppetat quàm ערב planè id negligendum non credunt ſatis tutum. Deſignat autem hæc vox tempus veſpertinum, lupis ad prædam captandam cui inhiant, maximè opportunum, undè factum, ut & ſacris in Pandectis זְאֵבֵי ערב Habac. 1. v. 8. celebrentur, ut & Jerem. 5. v. 6. זאב ערבות *lupus veſpertinus*. Cui robur addit periphraſtica Græcorum denominatio, qua lupi νυκτερινοὶ κύνες nuncupantur. Harum dividiarum neutra videtur eſſe inepta, quippè uti illa ſævitiem utpote comitem famis lupinæ individuum perdiem indicat, ſic hæc temporis intervallum manifeſtat furorem hunc evomendi tutius. Sopitum igitur litigium hoc Philologicum it mutua opinionum concordia. Arrabes denique lupum nominaturi utuntur vocibus: Aſſamamao, alladſo &c. Et frequentisſimam fieri mentionem lupi in Scriptis Arabum, & ſibimet ipſi nomina ferè centum in ſolo Lexico Alcami occurriſſe *Author eſt Bochardus*.

§. 4. Explanatis itaque iis, quæ ad nominis expoſitionem facere nobis ſunt viſa, reliqvum nihil eſt, quam ut arcem cauſæ ſeu lupum ipſum definitivè in πραγματολογίᾳ contemplemur. Et ne novitatis audiamus ſtudioſi, malumus in depingenda ejuſdem natura, opera frui aliena, quàm

quàm noſtris declarare verbis. Reliquit autem eandem nobis ita deſcriptam *B. Sperlingius: (f) Lupus eſt bru-* (f)
tum quadrupes, ululans, rapaciſſimum voraciſſimum & ovi- c. 16.
bus infeſtiſſimum. Quæ in definitione ne quid noſtram fugiat mentem, exactius ſingula ruminanda erunt.

§. 5. Svaderet ſanè ordinis tenor, ut tàm quæſtionis *εἰ ἔστι, an detur lupus,* quàm quæſtionis τί ἔστι capita primam occuparent ſedem. Verùm enimverò cum neminem eo inſaniæ proceſſurum ſperemus, ut animantis nominati exiſtentiam aut inficias ire aut minimum relinquere in ſuſpenſo ne vereatur, nullis nobis opus eſt firmamentis. Pergimus ergò pede inoffenſo ad alterum ζήτημα quod nobis in definitione repræſentatum duo ſiſtit trutinanda probè.

§. 6. Primùm ſe offert *conceptus convenientiæ ſeu genericus*, qui majoris perſpicuitatis ergò diſpeſcendus eſt in remotum & propinqvum. Illum abſolvit brutum, quod cum homine ceu ſpecie coordinata animalis exhaurit naturam adæquatè. Agnoſcitur autem meritò pro genere lupi, non ſolum quia lupus bruti definitionem, quæ animal irrationale importat, intimè imbibit, ſed & præter hanc ſpeciem de multis inferioribus ſpecie differentibus prædicationem admittit eſſentialem, adeoque pluribus communem, quæ generis ſunt κριτήρια haud poſtrema. Aſt in re ſatis plana quid verbis opus eſt? Hinc addendum proximum eſt genus, quod nobis quadrupes præſtat. Hoc enim nomine lupus ſequeſtratur ab iis brutorum ſpeciebus, quas natura pedibus donavit duobus aut pluribus aut denegavit omnes, debitam compenſans perfectionem in aliis corporis partibus aut facultatibus conceſſis, quibus frui licet. *Conceptum differentiæ* ſeu *ſpecificum* cætera exhibent verba. Par equidem fuiſſe fatendum eſt, ut diſcrimen eſſentiale ab ipſa lupi forma petitum hoc diſtingvendi munus ſubiiſſet, quippè quæ ut eſſe ita vel maximè diſtingvi largitur; ſed neque ignorandum ne in unius quidem etiam acutiſſimi Philoſophi ſitum

fuiſſe

ſuiſſe viribus hactenus, formam rei vel ullius humanam ſi excipias luci vindicare. Quod mare difficúltatum cum ſemel atque iterum ab haud ita paucis, remis & contis quaſi ſatis inſtructis tranare tentatum, ſed Neptuno, liceat ita loqui, invito, luculento eſt indicio, nos operam fore luſuros, ſi ſaltem formæ lupinæ indaginem moliri niteremur. Qvod ne nobis eveniat, de induſtria locum illius propriorum additamento cum *B. Autore* ſupplevimus.

§ 7. Promanat autem ululatus ab ipſa lupi forma & vocitatur eſſentiale conſecutivum, cujus beneficio hoc animal ab animantium gregibus omnibus de facili eſt dignoſcendum. Quod enim canibus eſt latratus, leporibus vagitus, id lupis præſtat ululatus. Lapſum *Hieronymi Cardani* circa præſens negotium, eamque ob rem caſtigatum *à Scaligero* legimus ita: *(g) Fruſtra verò conatus es oſtendere, unam eſſe ſpeciem, propterea quod canes quoque ululant. Non eſt hæc ſubtilitas ſubtilis, ô Cardane. Da nobis latrantem lupum, & tibi vicißim reponemus non ululantem canem. Ita ut vulpes latrent, non gannit canis. Caterùm argumenta etiamſi hæc omnia latratu, gannitu, ululatu conveniant, nulla ſunt. Quippè in homine ipſo cuncta hæc inſunt: omnia enim vel joco, vel diverſis actus affectibus imitatur.*

(g) *Exercit.* 202. *ſ.* 1.

§. 8. Reliqua diſcernendi nomina, quibus hoc animal maximè eſt infame, ita ſunt comparata, ut eum neceßitatis gradum, quo lupum ululatus conſequitur, non attingant. Cum primis celebratur lupi rapacitas undiquaque, qua percitus atque accenſus nec ulli animantium, cujuſcunque fuerit ſpeciei, quantitatis aut ætatis, modo prævalere ac ſuperare licuerit, vivendi poteſtatem facit amplius. Et ad hoc conficiendum viribus pollet ſat validis. Nec elabendi tentamen cuipiam facilè ſit ſpei aut ſolatio: fertur enim tanta pedum pernicitate inſtructus, ut (*h*) Scaliger pro certo ſciat, lupum & conſequi leporem & vorare. Quod ſi vires rei tentandæ deprehendat impares,

(*h*) *Exercit.* 189. *ſ.* 5.

ſocios

ſocios quandoque adſciſcit amica confœderatione & periculi & prædæ. Corpori additurus pondus & robur, terram quoque & argillam deglutire perhibetur *ab Alberto* & aliis, nimirum ut gravior redditus quæ invaſiſſet, ſua mole deprimere poſſet. Verùm quo minus in hanc ſententiam, & nos eamus ſana vetat ratio, quæ lupum prædæ obviæ neſcium dictitat, an ſcilicet ea viribus connatis aut adſcitiis ſuperatu ſit facilior. Et demus licet (ſané grande poſtulatum) ſpolium potiundum per medium milliare ſubolere lupum, roboris tamen ejuſdem animantis non eſt præſagus. Adjicimus potius conſenſus noſtri teſſeram Ariſtoteli, qui cauſam inſtinctui naturali ad (*τινα γῆν*) peculiarem quaſi terræ quandam ſpeciem prono imputat, cujus copia lupo non ubique locorum erit præſtò. Ita autem ille fatur (*i*) *τῶν τετραπόδων καὶ ζωοτοκούντων τὰ* (i) *l. 8. hiſtor.*
μὲν ἄγρια καὶ καρχαρόδοντα πάντα σαρκοφάγα. Πλὴν *anim. c. 5.*
τοὺς λύκους φάσιν, ὅταν πεινῶσιν ἐσθίειν τινα γῆν μόνους τοῦτο τῶν ζώων.

§ 9. Mitius ingenium contigiſſe lupis erga canes, quo ne qnidem à coeundi conſvetudine abhorrent, *Scaliger l.c.* & *Ariſtoteles* ſunt autores, ita tamen ut ille feros intellectos velit canes, quales *in latibulis montis Falconii multis jam ſeculis agitaſſe tradat*: hic autem & cicures exiſtimet idoneos, quibus cum conſveſcerent, haud tamen abſque præſentisſimo vitæ diſcrimine. Verba quæ ſub calcem (*k*) (*k*) *l. 8.*
c. 28. invenimus, hæc ſunt: *Ἄγοντες δεσμεύουσιν εἰς τὰς ἐρημίας τὰς κύνας, καὶ πολλαὶ κατεσθίονται, ἐὰν μὴ τύχῃ ὀργῶν πρὸς τὴν ὀχείαν τὸ θηρίον.* Quibus aſſertis uti fidem detrahere ducimus nefas, ita nobis non eſt integrum Africanorum commento eandem addere. Relatum illud legimus apud Scaligerum (*l*) hunc in modum: *Africani,* (*l*) *Exercit.*
Græcis vaniores, ajunt: ex aquila concipere lupam, neque *182. ſect. 11.*
parere, ſed rumpi; exire draconem roſtro & aliis patri ſimilem: pedibus & cauda matri: corio ſerpentis, maculis verſicolore. Oculorum genas attollere nunquam, in ſpecubus habitare.

 §. 10. Quan-

§. 10. Quanta autem cunque rapacitatis atrocitate diffametur lupus, tantam tamen eam eſſe nobis cum Scaligero perſvaderi non patiemur, ut nullâ viâ modoque emolliri & mitigari queat. Utut expulſu facilis natura non ſit, ut potius antiqvum obtinere cenſeatur, cultura tamen ſubacta & ſolers educatio merentur prima, merentur ultima. Ambiguum hac in re convincit experientia certitudinis, quæ fidem vel invito extorquere valet. *Juſtinus* (m) *Troji Pompeji Epitomator* prodidit memoriæ: Habidi Gallecorum deinde Regi, expoſito cervam obtuliſſe ubera, undè denique converſatione nutricis eximiam puepernicitatem fuiſſe; interque cervorum greges diu montes ſaltuſque haud inferiorem velocitate peragraſſe. Quod ſi igitur aer liberior aut laxior morum formandorum cura, lactatione non neglecta, homines reddit degeneres, ita ut ſedula atque ſollicita liberales, quid quæſo fuerit obſtaculo, quo minus lupi, æquè atque ſævitia leonis, rapiendi cupido per conſvetudinem haud interrumpendam, in deſvetudinem tandem abeat. Specimina hujus noſtri placiti ac aſſertionis qui deſiderat, illi conſulendus *Caſpar Schottus*, qui duo documenta (n) hanc in rem maximè facientia conſignavit, quæ geſta ſunt ita: *Habuimus aliquando hoc in Collegio noſtro unum lupum, qui non minus catello quovis familiariter cum Patribus noſtris verſabatur.* Et paulò ante affirmans; *cicurantur inquit* (lupi) *maximè juvenes, adſveſcunt hominibus, canibus ovibus.* Alterum experientiæ monumentum interius ſumus allaturi.

(m) l. 44. c. 4.

(n) l. 8. c. 48. p. 1062.

§. 11. Sicut autem primas lupi merebatur rapacitas, ita famis exquiſitioris voracitas individuus quaſi comes ſibi vendicat ſecundas. Inſignis ea eſt adeò, ut tam à Sacris quàm profanis ſit decantata autoribus paſſim. *Sophonias* vivis coloribus injuſtos & aviditati deditos nimis depicturus judices, commodiorem haud inveniebat collationem, quam quæ inter ipſos & lupos inſtitueretur. Hinc ita inſit: שפטיה זאבי ערב לא גרמו לבקר: *Judices ſunt lupi veſpertini, qui non exoſſant ad uſque mane*, i. e. qui cibi,

(o) c. 3. v. 3.

cibi, quem nacti ſunt ſemel ne tantillum quidem relinqvunt in craſtinum, ut potius ſimul cum oſsibus devorent omnia atque deglutiant. Ex quibus prona eaque irrefragabilis ſe offert collectio, lupum cibos non defodere, ex æquo eos dividere, & ad reliquias ululatu alios advocare, prout *Alberto* viſum fuit, cui nec Jonſtonius ſuffragari audet. Et ſi quid omninò largiendum de reliquiis inventis à lupo adeſis, non tam curæ fuerit ad ſcribendum providæ quam ventriculi anguſtiis, viſcerumque incapacitati, quibus ad imum uſque probè refertis, vel invitus prædæ partem in craſtinum ſuperare tenetur. Quæ inſatiabilitas apud Arabes nomen helluonis non tantum peperit lupo, ſed & proverbiali locutióne, nimia aviditate æſtuantem proclamat lupo avidiorem. A quibus non abludunt Germani; Es iſt ein geiziger Wolff / oder / er friſt wie ein Wolff. Ut autem voracitatem intimatam expleat, animalium nec ulli parcere ſupra aſſeruimus. Hinc *Cleomargus libro de venatione lupi*, duos lupos antecedente die occiſos ab aliis nocte ſequente devoratos fuiſſe obſervavit. Quod idem & teſtatum fecit *Ælianus*, dum fame urgente multos ſimul excurrere, vertigine correptum & cadentem à cæteris laniari animadvertit. Verum enim verò hæc animadverſio univerſalis non eſt, ſiquidem lupos etiam iis in locis, quibus parietibus circumvallati cuſtodiuntur, nec excurrendi ſpatium datur, mutuam internecionem moliri, conſtet exploratò.

§. 12. Denique odium, quo flagrat erga oves, tantum eſſe creditur, ut neque vivus neque mortuus cum iis redeat in gratiam. Cauſam ut omnis ita & hujus antipathiæ imputat (p) *Alexander ab Anglis* temperamento primarum qualitatum, parum vel plus vel plurimum contrario. *Antonius Zara* (q) occultas negans qualitates, confugit ad primas. Thomas prætendit influentías ſeu qualitates in nominatas, in prima generatione ab aſtris inditas, pro varia diſpoſitionum diverſitate. *Franciſcus Svaretz*, (r) & (s) *Franciſcus Murcia* cum *Schotto* agnoſcunt affectionem vel

(p) l.1. Aſtrolog. c. 28.

(q) Tractat. occult. ingen. memb. 4. ſ. 1.

(s) de anima 3. diſp. 2. q. 1.

(r) diſp. 1. metaph. ſ. 6. n. 3.

vel inclinationem naturalem rei in malum fugiendum, naturæ tamen rei nihil ſuperaddentem. Quorum pleraque utut ſpecioſa ſatis, falſitate tamen non carent prorſus interim ſuo examinanda loco. Contra ovem ad conſpectum lupi haud ſecus atque pullum accipitris timore percitum maturare fugam in confeſſo eſt apud multos, quos inter reperitur *Damir, Scriptor Arabs*, qui hac de re ita diſſecit: *E mirculu ejus eſt, quod ſi Elephantem aut bubalum videat, eos non metuit, utut vaſta habeant corpora; ſed ſi videat lupum, illum corripit timor maximus.* Unde patet Deum Optimum Maximum hunc timorem ei à natura indidiſſe. Quod Damiri effatum æquè atque aliorum à veritate exorbitare liquet luculenter ex multifariis documentis cumprimis eorum, quorum caulam inter pariter ac extra degere intereſt. Neque plus quam par eſt eos ducimus audiendos, quibus cum Bochardo *(t)* ratum, lupos quantumvis cicuratos, odium in oves nunquam deponere, & iis viſis ad ingenium lupinum ſtatim redire. Convellit enim opinionem relatam experimẽtum manifeſtisſimum, cujus mentionem ſupra injectam hoc loco ex Schotto deducemus plenius & planius: *Paucos*, ille inquit, *ante annos non procul hinc ruſticus opulentus lupum habebat, qui cum canibus caulas defendebat, & lupos invaſores ſtrenuè arcebat. Abiit die quodam ruſticus cum reliquis canibus rus, ſolo relicto lupo ad caulæ cuſtodiam. Irruit interim lupus alius & repentè quatuor aut quinque ſtrangulavit primo impetu oves antequam à lupo domeſtico compeſceretur. Victus tandem ab hoc fuit atque occiſus & ovium cadaveribus tectus. Ruſticus ut domum reverſus, videt oves occiſas, exonerato ſclopeto trajecit eum glande plumbea. Deprehenſo deinde errore ſuo adeò doluit, ut diceret maluiſſe ſe dimidium gregem perdere, quàm fideliſſimum lupum.*

(t) l. 2. c. 47. p. 529.

§. 13. Tandem quot, quantaſque nænias mortuo decantent lupo, præter antipathiam ne quidem per mortem extinctam, ſimus licet & referre & refutare pertæſi, tamen nonnullos ſaltem in ſcenam producere haud pigrabimur.

Conten-

Contendunt authores ferè innumeri, hominem ſi lupus conſpexerit prius quam ille lupum obmuteſcere & clamandi facultate deſtitui, & vice verſa. At falſisſimum hoc eſſe & dies & ratio loqvuntur. Salſè igitur hoc abſurditatis carcynoma tetigit *B. Sperling. cum Scaligero : Cur,* inquiens, *viſis lupis homines obmuteſcunt ? Quia in illius oculis vis. Quid ſi ejus oculos non vidi ? Num ejus oculi dorſum penetrant & occiput ad lingvam ? Utinam tot ferulis caſtigarentur mendaciorum aſſertores iſti quot à lupis viſi ſumus nos, ſine vocis jactum.* Falſum eſt equos rumpis qui veſtigia luporum ſub equite ſeqvuntur : Etſi lupi calcaneum equi quadrigam trahentes conculcant, ſiſtere, ac ſi cum quadriga glaciaſſent : Fundamentum ſi exquiras obtentui nil eſt niſi fama communis, quæ experientiam neſcio quibus terrarum angulis obſervatam crepat. Verùm commentum hoc, flocci ne quidem æſtimandum, prudenti haud facilè imponet. Adeò enim craſſus eſt error, ut non dicam ratio, ſed ne quidem veriſimilitudo huic rei ſubſit. Falſum eſt, lanas ovium à lupo cæſarum pediculos creare. Negata enim cauſa univoca poſt mundum conſtitutum negatur & ipſum cauſatum. Generaret lana pediculos vel ex ſe vel ab alio. Illud non eſt quia illud quod ipſa non habet quomodo alteri largiri poteſt ſcilicet ſemen. Si hoc, frivola omnia & extra oleas abit diſcurſus. Neque auditum unquam effectum ſuâ causâ nobiliorem evaſiſſe. Quod ſi autem lana aut pellis exſaugvis & exanimis animatum gigneret, certè hoc illi præſtaret, cum plures eſſendi gradus in ſeſe contineret. Ad æquivocam verò properare generationem, æquivocam eſt prodere mentem.

§. 14. Neque melioris monetæ ſunt, quæ fabulantur Damir & Oppianus cum multis aliis, utpote ſi ſuſpendatur lupi nervus ſupra aliquod muſicum inſtrumantum & illud percutiatur, diſcinderentur omnes ovium nervi, qui eſſent in illo inſtrumento, neque audiretur ulla vox. Mitius judicium vulgavit Cardanus cum nonnullis, dum lupi fidibus

agninas malè obſtrepere, omnemque citharæ concentum interturbare contendit. Examine qualicunque ſi aſſerta hæc ſunt digna, prioris contrarium tuetur uſus, qui tantum abeſt ut fides ex inteſtinis luporum ac ovium confectas diſcordare aut diſſonare, ut potius concentum ſvaviſſimum, *obſervante ipſo Bochardo* aures demulcentes jucundè reddere docuerit. Si quæ verò nonnunquam diſphonia aut ruptura nervorum fuerit animadverſa, nimiæ vel ſiccitati vel impuritati fidium, quam haud raró advertere licet tribuendum. Tympanum quod ſpectat inficiandum non eſt, varietatem inibi deprehendi evidentisſimam. Verum enim verò qui cauſam rei quærunt in antipathia æquè atque illi qui nondum in ſcirpo quærunt, perdunt operam. Crasſior lupis pellis eſt quam ovibus. Nec tanta pororum copia lupinis ineſt exuviis, per quas murmuri perpulſum excitato pateret tranſitus, quanta contra in ovium tegumentis ſuppetit, eaque longè maxima adeò ut haud facilè offendas animal, quod hac in parte ovi præſtaret æquilibrium. Confirmat modò dicta rumpendi facilitas, quæ in aliorum animalium coriis multo difficilior ſentitur.

§. 15. Plura harum fabularum animalium cum neque animus neque charta ferat, ſub calcem hujus ſectionis luporum ſpecies nobis eſt conſtitutum enumerare. Innumeratò autem præter lupum in noſtris regionum tractibus palantem habetur lupus Scythicus, qui in ultima Scandinavia pox Norvegiam degere fertur. Iconiſno Schotti ſi fides adſtringenda, ſpeciem contemplanti exteriorem imaginem leonis ferè ob oculos ponit. Neque abludit indè Germanorum nomenclatura, quæ Grimmen-Klau id animalis nominat. Deindè ſe offert lupus marinus litoris Oceani Britannici incola. Hinc amphibium creditur animal quod quà iconiſmum dicto loco repræſentatum, à noſtratibus vix tantillum diſcrepat. Sat eſto.

SE-

SECTIO II.

Affinis materiæ antecedaneo capite pertractatæ quæſtio eſt, quæ non heri aut nudius tertius nata, ſed multis abhinc ſeculis agitata, ita ut etiam Homero adhuc ſuperante radices egiſſe videatur: utrum homines humanâ formâ ac figurâ exuti mentem quaſi & morem induere poſſent lupinum? Cujus quæſiti argumentum ſicut variis modorum loquendi diverſorum involucris fuit implicatum, ita categorica vel aſſertione vel inficiatione expedire non eſt ſatis aptum aut tutum. Non deſunt veterum monumenta quæ inveteratam produnt opinionem, qua incantationum adminiculis homines ut in varias animalium, ita & luporum poſſent transformari formas uti de *Circe Maga ex Homero* eſt palam. Alii ne naturam quidem ipſam hujus crudalitatis quaſi inſontem audent pronunciare, quos inter Varro ab Auguſtino eſt notatus, qui verba facientem introducit ſequentia: *Statis temporibus convertebantur in lupos, iterumq; in homines Arcades ſtagnum quoddam ejus regionis tranantes transfigurabantur in lupos & cum cateris ejuſdem generis congregati, per novem annos lupi permanebant. Et hoc tempore ſi humanis carnibus abſtinebant, reverſi ad ſtagnum, & iterum tranantes recipiebant habitum priſtinum, addito novem annorum ſenio.* Hæc ille. Vulgatisſimis exemplis ex recentioribus roborare hanc rem ſategit *Olaus Magnus l. 18. tribus extremis capitibus*, qui expertis verbis teſtatur, *in Pruſſia, Livonia & Litwania* homines artificiis magicis transfigurari in lupos, & rurſus in humanam ſpeciem reformari. Propius ad veritatem accedunt *medici* apud *Schottum* citati, quorum conſtans unanimiſq; eſt ſententia fieri poſſe ut ex humorum vitio & atræ bilis exceſſu phantaſiæque læſione oriantur in hominibus affectus quidam lupini, & odium in greges ac homines, deſideriumque eos invadendi, lacerandi ac vorandi; at tum ipſos ſolos qui tali morbo laboravit putare ſe lupos aliaſvé beſtias, ferinamque imitari ſævitiem aliis verò hominibus

videri,

videri, prout revera ſint & quoad ſpeciem externam appareant. Quod Medicorum aſſertum ſicut nulli dubitamus, quin & rationibus prægnantibus & variis experientiæ documentis, utpote teſtibus omni exceptione majoribus ſit roboratum ſatis, ita & noſtro comprobamus ſuffragio, Scilicet uſu venire poſſe, ut homines ejuſmodi morbo correpti & affecti rabiem imitentur lupinam, ita tamen ut ea rabie perciti aut occupati neque formam deponant ſpecificam, neque extrinſecam membrorum figurationem deforment, multo minus formam ſpecie diſtinctam ex neſcio quo utopico horoſcopo derivatam imbibant, & priore exulante, cum aliena coaleſcerent, citra interveniens propriè dictum miraculum. Glaucoma itaq; oculis nimium credulæ plebis objiciunt, iiſdemque imponunt Polyhiſtores, qui ad fidem huic rei conciliandam tum ex natura adeò novercante, quam arte Diabolica nullas non undiquaque emendicantur fabellas, parum vel nihil ſoliciti, quo jure quave injuria id eant perſvaſum. Nos interim ut ad pauca redeamus, cauſæ bonitate confiſi, phantaſmati huic anili mittimus nuntium & claudimus ſepta rivoſque ſequenti modo:

Q. non niſi per infinitam potentiam abſolutam fieri poteſt,
illud & natura & arti eſt abſolutè impoſſibile.
Atque immutatio hominum ſ. Lycanthropia eſt talis. E.g.

Plura qui deſiderat, adeat *Camerarium in horis ſucceſſivis*, *Wierum, Delrium* & cum multis aliis *una cum Peucero* *Caſparum Schottum*. Nobis non licuit eſſe tam prolixis.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EM.

SOLI DEO GLORIA.